

~~G. H. A.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
W-20. —  
SIGNAT. cI*o*I*o*CCCXIII.

20 f. dabs.

einzelne Verzettel  
23. IV. 1915.



68.<sup>171</sup>

RECTOR  
ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS,  
**JOH. ANDREAS**  
**QVENSTEDT,**  
SS. Th. D. Prof. Publ. & Electora-  
lium Alumnorum Ephorus,

*Civibus Academicis Gaudia Paschalia in Christo  
Redivivo!*

2

**M**EMOR ESTO, DOMINUM JE-  
 SUM CHRISTUM RESURREXISSE A MORTU-  
 IS, EX SEMINE DAVID, SECUNDUM EVAN-  
 GELIUM MEUM. Hoc sonoro celevsmate non Ti-  
 motheum tantum, eiq; geminos Verbi Doctores, vel  
 Evangelistas, sed nos omnes, qvi de Christo per Ev-  
 angelium informamur, excitat Tuba Evangelij, RUGITUS LEONIS  
 NOSTRI, Tonitru Gentium, ut ab Hyeronymo ad Pamphachi: II. appellatur z.  
 Tim. II. 7. MEMORIAM, v. RECORDATIONEM præcipit, indefini-  
 tè, qvoad omnia Subjecta, omni tempora, ut qvisq; fidelium Resurrectio-  
 nis Dominicæ memor sit, & nunquam tanta res memoriâ nostrâ excidat:  
 Memoriam præcipit fidem, ac devotam, vel cordis fidelis ac devoti: qvia  
 ut historia Resurrectionis Christi non tanquam novum qvid, more no-  
 varvientium Atheniensium, auribus tantum avidis haurienda, sed cor-  
 de fidi recipienda, ceu animæ nostræ pabulum, Medicina, refectio, Vita,  
 & Salus: ita fidi semper corde eadem servanda, ac subinde recolenda.  
 Ex hoc enim, Leone dicente, serm: I. de Resurr: Dom: initium nobis fa-  
 cium est resurrectionis in Christo, ex quo in eo, qvi pro omnibus mortuus est,  
 notius spei nostræ forma præcessit. Non hesitamus diffidentia, nec incerta  
 expectatione suspendimur; sed accepto promissionis exordio fidei oculis, qvæ  
 sunt futura, jam cernimus: & nature provectione gaudentes, qvod credi-  
 mus, jam tenemus. Si incunctanter itaq; dilectissimi, ut iterum sermo-  
 ne altero, de Resurr: Leo M. corde credimus, qvod ore profitemur; nos  
 in Christo crucifixi, nos sumus mortui, nos sepulti, nos etiam in ipso die  
 tertio suscitati. Habet hoc Leo, ex ipso gentium Doctore, qui Epb. II. 4.  
 Deus autem, inquit, qvi dives est in misericordia, propter nimiam chari-  
 tatem suam, qvâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit  
 nos in Christo Jesu (cujus gratia estis salutis) & CONRESUSCITAVIT,  
 & considerare fecit in cœlestibus, in Christo Jesu. Habent etiam sine du-  
 bio, id ex Hoseâ, V. T. Evangelistâ cap: VI. 3. Vivificabit nos post duos  
 dies: in tercia die suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Per hæc enim  
 Theodoreto interprete, designat Propheta, post tres dies factam Servatoris  
 resurrectionem, qva publicam resurrectionem conciliavit, omnibusq; nobis  
 spem

Spem immortalitatis dedit, in generata ex DEi agnitione. CHRISTUS solus est, inquit in h. l. B. Lutherus, qui post biduum vivificatus est, & tercia die resurrexit a mortuis. Ostendit autem Prophetæ, hujus resurrectionis fructum ad nos quoque pertinere. Itaque Christi vitam nostram vitam, & Iesu resurrectionem nostram resurrectionem facit, sicut Apostoli quoque solent. Idque ideo: Quia enim peccato demersi in mortem, perpetuo eramus in morte mansuri, Filius DEi nostra peccata in se transtulit, & pro eis satisfecit in cruce, ac postea resurgens, mortem, quam pro nobis obierat, vicit. Itaque nos tunc resurgere, & vivere cepimus, cum Christus resurgeret. Per eum enim nostra mors devicta, & vita, quam amiseramus, redditæ est.

Quod longè ante Hoseam verâ fide professus est David, vir confirmatus de Messia DEi Jacob, Psalmo XVI. n. Nam quod Christus, in illo vaticinio loquens, de sui Resuscitatione prædictit, id nobis in eadem, & propter eandem etiam contingere docet: Notas mibi fecisti vias vitæ, ad implebit me letitia cum vultu tuo: delectationes in dexterâ tuâ, usque in finem: Qvomodo etiam Christus Joh: X:V. 19. Vivo ego. Et vos viveris. Ut enim Adamus sibi, & posteris amisit vitam, sic Christus pro se & nobis accepit eandem: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viviscabuntur I. Cor. XV. 22. De quo Vaticinio Davidico Megalander T. II. Jen: Lat: oper: in Ps. XVI. f. 172. Videmus hic, quod Psalmus unus omnium quam claræ resurrectionem & gloriam resurrectionis prædicet, ut meritò Michtbam, aureolus, dictus sit David, qui hoc loco insigniter suam in rebus divinis cognitionem signavit. Non derelinques, id est, velocissime reduces. Et non dabis factum tuū videre corruptionē, id est, festinabis me reducere in sanitatem & vitam corporis. Videtur enim mibi Spiritus in his verbis simpliciter loqui, & magis ad tempus respicere, quam ad locum, & aliam circumstantiam, ut sit sensus: Non derelinques me tanto tempore, quanto naturaliter, solent corrumpi cadavera, sed intrâ tempore, quo solent incipere corrumpi, me suscitare. Cuius vero causa viae vitæ nomine sunt facta Christo, nisi nostri gratia, qui à vitâ exclusi eramus? Cur implendus erat latitia ante vulnus DEi, ut Hieronymus reddidit, nisi propter nos, quorum vice ipse à DEo desertus fuerat? Quibus eveniunt delectationes illæ æternae, an Christo soli, an vero nobis in & cum Christo, vel sanctis Domini, pro quibus passus est, qui ipsius sunt hereditas, I. V. 3. 5. 6. Illis latitia obtinget æterna, & plenitudo latiarum, quum latitia in hac miseria sanctis imparitur, ut Lutherus habet, sint filie, quædam, & tenues pragustus, qui citò transeant, plenitudo autem revelata far-

A

cie

cie DEi, perfecta sit manens in eternum. Ideo sequenti Psalmo applicat id sibi Hieropsaltes vers. ult: *Ego in justitia: ut Hieronymus reddidit, video faciem tuam, cum evigilavero similitudine tua: satiabor, cum apparuerit gloriatus.* Ad quæ verba B. Lutherus egregiè ita: *Opponit hæc iis quæ de impiis dixerat; Illi sapiunt terrena, saturantur filii, & portionem suam in hac vita ponunt, Mibi vero contempta est hac vita, ad futuram festino, ubi non in divitiis, sed in justitia, video, non terrena hac transitura, sed ipsam faciem tuam.* Nec saturabor in filiis carnis, sed cum evigilavero tuâ similitudine, sicut I. Job: 3. dicit: *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, ut similitudine tuâ non ad evigilavero, sed ad satiabor componatur, facie enim DEi revelata, quæ est gloria, & claritas DEi, satiabimur.* Et pulchre verbum resurrectionis posuit, cum evigilavero scilicet à somno mortis. Ut non in hæc, sed in futurâ vitâ satietatem nostram esse doceat. Nibile est, quod discordat sensui, in nostra translatione, apparebit enim gloria DEi, eum nos resurrexerimus à somno mortis, & similes ei facti fuerimus. Ebraeus tamen resurrectionem clarius ostendit, quæ noster.

Si altius ascendamus longè ante Davidem eandem Resurrectionis Christi fidem ac fidelem memoriam testatus est Patriarcha Jacob, quando de Schilo, ejusq; passione vaticinatur Gen: XLIX. 11. *Lavabit in vino suam stolam, & in sanguine uæ pallium suum,* hoc enim de cruentâ ejus passione ac morte dictum, nec ipsi Judæi dissentunt: *Quando veniet Rex Messias, vestitus erit, inquit R. Moses Hadarschan, in Bereschith Rabba, super h. l. purpura pulchram visu, quæ in colore similis erit vino, & cum sanguine uvarum indumentum ejus, sicut dictum est Es: LXIII. 12.* Addidit enim Patriarcha sanctissimus: *Eidem fore Congregationem gentium.* Quod R. Joël Benfuaat exponit: *Et illi obedient populi, quia totius mundi imperium obtinebit;* cui non abnuunt Bereschith Rabba, R. Bechai, R. Moses Gurdensis, R. Menasse Ben Ijraël, Don Isaac Abarbenel, aut Targum Hierosolymi. Et futurum est, reddens, ut ei subjiciantur regna terræ. *Quomodo autem id fieret, si in mortem mansisset?* unde S. Paulus solidissime per ἀπόστολον, è regno Messiae probat resurrectionem ejusdem à morte Act. XIII. 34. *Quod autem suscitavit eum à mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem,* ita dixit (Es: LV. 13.) *Quia dabo vobis sancta David fidelia.* Quæ enim illa sancta David fidelia, nisi promissio de Regno seminis Davidis, quod post ipsum suscitandum, & egressurum erat de utero ejus, cui chronus regni stabilendus in sempiternum. II. Sam: VII. 12, quo de

de germine Davidico *Jeremias c. XXIII.5.6.* Regnabit Rex, & sapient erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terrâ.

De fide Parentis Jacobi, & Patriarchæ Isaaci, in resurrectionem Christi haud obscurè colligere est ex *Ebr: XII. 17. 18. 19.* non minus, quam de fide Abram. Conjugit enim Apostolorum Coryphaeus utrumque quam fidem, tunc quoad promissionem de benedictione in semine Abrahamæ, & Isaaci, quod est Christus, qui morte suâ maledictionem abkulit, & resurrectione gloria benedictionem restituit. *Gal: III. 13. 16.* tunc quoad adumbrationem resuscitationis Christi, cum *Isaacus* ab Abrahamo esset offerendus, sed receptus est ēν τῷ αράβαλῃ. Quam verò fidem Patrios credentium pleniori crenâ describit Apostolus, omnibusq; salvandis in exemplum sicut, utpote qui vestigiis fidei ejus insistere debeant: quam nempè ipse credidit in eum, qui suscitavit Iesum Christum, Dominum nostrum, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram. *Rom: IV. 24. 25.* Quid clarius pro fide nostrâ, eademque Abrahamiticâ, dici poterat, quam quod omnes, quibus ad iustitiam imputari exemplo Abrahæ habeat fides, utrumque credere teneantur, & quod traditus pro nobis, & propter peccata nostra in mortem sit, ut eadem expiaret, & resuscitatus sit à morte propter justificationem, ut à peccatis absolvi, ejusdemque iustitia per fidem justificari, ac salvari possemus. Nisi enim à morte resuscitatus fuisset, nemo nostrum iustitiâ ipsius frui posset: immo si in morte mansisset ipse, quomodo justus ipse haberet, aut nobis iustitiam & innocentiam suam communicare posset; quum mors peccati sit stipendium *Rom: VI. ult.* *Conf. Rom: X. 9.* Hac ergo fide Christi propter peccata sua tradendi, & propter justificationem lui resuscitandi, Abraham justificatus & salvatus est; de quo Christus ad Judæos *Job. IX. 56.* Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit eum (in Oraculis, vel promissionibus *Gen: XII. XIII. XXII.* & typis vel figuris, maximè quum in parabola Isaacum reciperet *Gen: XXII. Ebr: XI.*) & gavisus est.

Denique si ad primum regrediamur oraculum, multis seculis ante Abrahamum, protoplastis, adhuc in Paradiſo constitutis, de Resurrectione Christi factum, quo fide apprehenso, & fidi memoria retento, salutem adepti sunt illi, cum posteris fidelibus: *Gen: III. 15* propositum: ipsum (SELEN mulieris) conteret caput tuum (ō serpens) &, tu infidaberis calcaneo ejus; anno illud victoriam paschalem annunciat, & in vitam

vitam revocavit miseros parentes humani generis? Qvo Messiae qvi-  
 dem ὁ Φιούας πλага plagas gravissimas & letiferas inflictum iri à serpente  
 infernali, calcaneum tamen illi tantum lаdendum, non autem totalem  
 deletionem inferendam, qvin ipsum, salvum capite, serpenti infernali ca-  
 put protrsus contritum, ac potentiam, & virtute suā, & passione ac mor-  
 te, eluctaturum significatum. Qvo de B. Lutherus in h. l. Includitur in hаc  
 sententia redemptio à lege peccati & morte, & ostenditur manifesta spes &  
 certa resurrectionis & innovationis in alterā vitā, post hanc vitam. Si enim  
 serpentis caput conteri debet, profecto oportet aboleri mortem; si mors abole-  
 tur, etiam mortis meritum aboletur, hoc est peccatum: Si peccatum, ergo Lex  
 quoq; aboletur: nec id tantum, sed restituitur simul obedientia, quae amissa est,  
 quia promittuntur per Semen hoc, satis clarum est, naturam humanam post  
 lapsum suis viribus nec peccatum collere, nec pœnas peccati, & mortem effu-  
 gere, nec obedientiam amissam recuperare potuisse; majorem enim vim  
 & robur majus, quam hominum est, reqvirunt ista. Itaq; Filium  
 DEi oportuit victimam fieri, ut bac nobis conficeret, ut colleret  
 peccatum, devoraret mortem, & amissam obedientiam restitueret.  
 Hōs ehesauros in Christo possidemus, sed in spe: Sic Adam, sic Heva,  
 sic omnes credentes usq; ad novissimum diem, spe ista vivunt & vincunt. Est  
 quidem mors horribilis & invictus tyrannus; sed divina potentia, ex eo, quod  
 est omnia, facit nihil: sicut etiam ex eo, quod est nihil, facit omnia. Nam  
 Adamum & Hevam vide, sumi pleni peccatis & mortes, & tamen, quia audi-  
 unt promissionem de Semine contrituro caput serpentis, sperant idem, quod  
 nos, quod scilicet mors tolletur, peccatum abolebitur, & reddetur justitia,  
 Vita, Pax &c: In hac spe vivunt, & moriuntur primi parentes, & vere  
 sunt propter hanc spem sancti & justi: Et paulo post: Habemus igitur jam A-  
 damum & Hevam restitutos, non quidem in vitam quam amiserunt, sed in  
 spem ejus vite, quam spe evaserunt, non primitias, sed decimas mortis, hoc est,  
 et si carni temporaliter esset moriendum, tamen propter Filium Dei promis-  
 sum, qui contritus Diaboli caput erat, post mortem temporalem carnis, spe-  
 rant resurrectionem carnis, & eternam vitam, sicut nos quoq;. Hoc itaq;  
 est, quod de fide, quam solā salutem consequimur ) professus est. S. Apo-  
 stolus, I. Cor: XV. 1. 2. 3. Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod pre-  
 dicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salvamini: qua-  
 ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim  
 vobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis  
 nostris

nostris SECUNDUM SCRIPTURAS, & quia sepultus est, & quia resurrexit  
tertia die SECUNDUM SCRIPTURAS.

Hoc Evangelium est Apostoli, de quo in praesenti loquitur. Memor  
esto, Jesum Christum resurrexisse a mortuis, secundum Evangelium meum;  
Componendum enim εὐαγγέλιον illud Apostolicum, cum εἴσται εὐαγγέλιας  
Propheticas; siquidem non mortuus tantum Christus sit pro peccatis no-  
stris, & sepultus secundum Scripturas ( Propheticas ), sed etiam secundum  
( easdem ) Scripturas resuscitatus sit, idq; tertia die: ut harmonia, & con-  
sonantia summa sit promissionum & oraculorum, fidei q; salvificæ unifor-  
mitatis, vel unitatis fidelium, cum Veteris, tum Novi Testamenti, Act:  
IV. 12. XV. 11. Eph: II. 20. c. IV. 15. Ebr: XIII. 8. Ap: XIII. 8. Qvam tertia,  
diei circumstantiam, ad demonstrandam veritatem resurrectionis, Chri-  
stus est typo Jonæ deduxit, ipsis Ninivitis ob fidem & poenitentiam a Jonâ,  
in ventre ceti eructato, siue dubio explicato, & per fidem ab iisdem suscep-  
pto, quod verba Christi innuere videntur. Matth: XII. 39. 40. 41. Gene-  
ratio mala & adulera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum  
Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus  
noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.  
Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam:  
quia poenitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Fide enim sua Ninivitæ gen-  
tiles confundent ac condé nabunt in illo Pantocrítico die Iudeos infideles.

Atq; hæc fuit Paschalis Christi Concio ex oraculis, & typis, modo  
tactis, è Mose, Prophetis & Psalmis, ad discipulos de Passione ac Resurrectio-  
ne suâ instituta, atq; iterata Luc: XXIV. 27. 44. Qvæ proinde in illis scri-  
pta, aut à fidelibus V. T. credita, si quis cum Calixto adhuc neget, palam  
Christo in os contradicet. Nostrum autem est, pie scrutari Mosen & Scri-  
pturas universas. V. T. quia testantur de Christo, & in suis habemus vitam  
eternam Job: V. 39. 46. attendere Sermoni Prophetico, seu lucerne in loco  
caligino solo lucenti, donec oriatur Phœnix ville ( ὁ ἀσητης λαμπρος νησις ἡρ-  
ῷονος Apoc: XXII. 16. ) in cordibus nostris: II. Petr. 1. 19. imo αὐτοῖς  
Φοι discere, ac nunquam non recolere illa ἡγεμονία γράμμata cum S. Timo-  
theo, de Christi morte ac resurrectione, utpote quæ nos σοφίσαι, sapien-  
tes reddere posunt ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu II. Tim. III. 15.  
Sic jugiter interesse poterimus Concionibus Christi Paschalibus cum di-  
scipulis Emaunicis, & undecim Apostolis Luc: XXIV. ac sedere cum Ad-  
orabamo, Isaaco & Jacobo in regno cælorum, Matth: II. 9. Sic cum Mo-  
se ac

*se ac Eli à versabimur in monte sacro, et læta aure cœleste Christicu*m* iisdem colloq*u*ium percipiemus, Matth: XVII. Luc: IX. 31. ac Canticum Mosis, servi DE*U*, ut & Canticum Agni Apoc: XV. 3. Canticum novum Ele&torum omnium inde ab orbe condito, æternūm concinemus, Ap: V. 9. 13. c. VII. 10. XV. 3.*

Quid verō illa sibi volunt, Christum resurrexisse à mortuis *Ex semine David?* Non planè exhauriunt Spiritus S. mentem, qui additum hoc censent, ob adserendam genealogiam Christi è familia Davidis, & retunden-dam hæresin de corpore Christi de Cœlis deducto, aut phantastico: nam imprimis hoc fidi corde teneri vult, Christum resurrexisse eodem, quantum ad substantiam, corpore, quod è semine David assumtum in mortem tradi-dit, & sepulchro inferri permisit: quod proinde discipulis post resurrec-tionem non oculistantum videndum, sed manibus ipsis palpandū con-cesit. Quæ summa fidei Jobæ, de suâ carne à vermis exesâ resuscitandâ, erat consolatio c. XIX. 26. Gnosticos utrumq; articulum, & incarnationis è semine David, & resuscitationis ejusdem corporis negasse, observant nonnulli interpretes.

Hæc ergò Paschalis vestra recordatio, hæc meditationes solemnes erunt, quas concionum festivarum fideli ac devotâ a' uir' n'rei excitabit; hæc gaudia vestra in Christo REDIVIVO. Non mundi gaudia in compotationibus, nocturnis clamoribus, digladationibus, tumultibus, ædium lapidationibus, & similibus quæsita, quæ longum Epiphonema aero ni mæroris post se trahunt. Abjiciatis ergò opera tenebrarum, & induamini arma lucis, oriente ab inferis sole justitiae. Sicut in die honeste ambuletis, non in comesationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione & emulatione, sed induamini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Rom: XII. 12. 13. 14. Qui dormiunt (in peccatis) nocte dormiunt, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt: Nos autem, qui diei sumus, sobrii sumus, indui loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis, quoniam non posuit nos in iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum, nostrum Jesum, qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. 1. Thels: V. 7. seqv. Deniq; Evangelistis resurrectionis Christi testabimini solemni munerum ad aram de-positione, quæm grata vobis sit Resurrectionis Christi memoria. P. P. Sub sigillo Academiz Vigiliæ Paschatos Anno Domini cœlœc LXXXV,

Aug VI 20 (1)

ULB Halle  
004 504 488

3



TA → GL

neu 1+37 Stück verlängert

VO 17

Z



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



RECTOR  
ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS,  
**JOH. ANDREAS**  
**QVENSTEDT,**  
SS. Th. D. Prof. Publ. & Electora-  
lium Alumnorum Ephorus,

*Civibus Academicis Gaudia Paschalia in Christo  
Redivivo!*

6 171

